

§. I.

Primum igitur audimus & ³⁾ facile consentimus, de rebus, quæ sub sensum vel externum vel internum certe non cadunt, in utramque partem per nos ipsos nihil constituere nos posse, nec rationi per se soli fas esse, in illo rerum genere vel confirmare vel negare fidenter, rem (objective, ut ajunt,) se ita habere, non aliter, sed modeste ab his rebus assensionem pariter ac dissensionem cohibendam esse ⁴⁾, nisi forte integrum non sit επεχειν, sed practico consilio ultra θεωριαν progrediendum ⁵⁾ atque vel υποθεσις ⁶⁾ sumenda & asserenda ⁷⁾ sit, qua demum posita, cavere possimus, ne legem moralem, qua nos teneri nobis conscii sumus, pro vana habere cogamur ⁸⁾, vel quæstionis (προβληματος), ad res, sensibus non subjectas, pertinentis, negatio propterea fiat necessaria, quod affirmatio

3) cf. Præf. loco laudato.

4) v. præter librum inscriptum: Critik der reinen Vernunft, enim, quem supra laudavimus, p. 86. 276. f. & Crit. der pract. Vernunft p. 73. 77.

5) l. l. p. 216 - 220.

6) l. c. p. 227. 238. f. Rel. innerhalb der Grenzen der bloßen Vern. p. 216.

7) l. l. p. 216. Crit. der pract. Vern. p. 226. f. 241. fs.

8) l. c. p. 205. Crit. der Urtheilskraft p. 456. cf. infra §. X.